

generis nobilissimam commemorat speciem, quæ Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Non quasi nulla veri nominis gratia sit naturâ excellentior, præter eam qua charitas Dei &c. sed quod hæc etiam & præcipuè ab omni Catholico agnoscenda sit.

4 De Charitate, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur, ait Apostolus, 1. Cor. 13. *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excidit*, Quod S. Thomas sic explicat lect. 2. *OMNIA SUFFERT, id est absque turbatione omnes defectus proximorum, vel quæcunque adversa.* Et lect. 3. *Charitas nunquam excidit, quia sicut in statu viæ, ita permanebit in statu patriæ, & cum augmento.* Nihilominus certum est, non omnem Dei charitatem semper ad eò perfectam esse, ut absque ulla turbatione in quolibet subjecto sufferat omnes proximorum defectus, vel quæcunque adversa: neque omnem charitatem ad eò permanentem esse, ut in statu viæ nunquam excidat, seu nunquam peccato expellatur; quem errorem ex Apostoli verbis perperam ab aliquibus colligi observat S. Thomas, & ea hodie dum Calvinianorum est hæresis, Tridentino anathemate damnata. Sicut nempe ab Apostolo Charitatis nomine perfecta describitur, sic ab Augustino gratiæ species proponitur præcipua, ut hinc certius convincatur Pelagius, admittendam esse longè aliam gratiam, quæ naturæ, legis, atque doctrinæ finibus non contineatur.

5 Denique dicitur *gratia Dei, quæ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, nisi perversa nostrâ voluntate impediatur.* Idem sensus est ejus quod profertur ex Augustino lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. Erroneum quippe est, imò hæreticum, quod Gratiâ Dei pro actuali auxilio intellectâ, semper in cordibus nostris charitas diffundatur; sic enim nunquam Dei gratiæ resisteretur in hoc statu naturæ lapsæ, quod post secundi articuli Janseniani anathema, nullus catholicus asseruerit. Magis quoque hæreticum est affirmare, *sinè illâ gratiâ omnino nihil boni, quod ad pietatem pertineat, veramque justitiam, fieri posse.* Sic enim statueretur, nullum esse gratiæ auxilium, nisi quod reipsâ justificet, quod nè Jansenio quidem visum est, qui lib. 2. de gratiâ Salvatoris cap. 27. fatetur, *Multos Divinitus colustrari, imò verò & in ipsa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus internâ suavitate & inclinatione dissentiant:* & lib. 8. cap. 2. ait: *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adiutorium, relativa est: tunc enim est victrix, quando alteram superat; Quod si Constitutio theol. propugn. Tom. I.*

contingat, alteram ardentiorē esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec unquam volet quod volendum est. Ita Jansenius novi agminis ductor à Quesnello temeritate vincitur.

6 Se ipsum quoque Quesnellus subvertit, qui 5. articulos à Girardo, consentientibus Lalano, & Arnaldo, callidè concinnatos adoptat, in quorum secundo dicitur: *Gratia interior duplex est; alia efficax, quæ semper producit illum effectum, ad quem impellit voluntatem; alia inefficax, quæ voluntatem excitat ad effectum, quem non producit.* Si quoties datur gratia Dei, per eam diffunderetur charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, non apparet, quæ gratia dicenda esset inefficax, & excitare ad effectum, quem non producit.

7 Si quis ad declinandam hæreseos censuram dixerit, non ita Augustini verba accipienda, quasi omnis gratia talis sit, ut per eam Charitas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; sed tantum aliquam Dei gratiam istiusmodi in Augustini sententia admittendam esse; frustra ea à Quesnello obtruditur ad eliminandum omne auxilium sufficiens, sive ad damnati erroris confirmationem, quasi sinè efficaci gratia non solum nihil boni operemur, sed nec operari valeamus. Catholica etiam Augustiniana sententiæ interpretatio superius indicata est, si dicatur omni gratiâ diffundi in cordibus nostris charitatem, saltè concurrente aliâ, cui viam sternit, quamque adducet certissime, si libera hominis perversitas non obstiterit; Divina enim benignitas, quoties ad justificationis & salutis opus disponit, quantumvis remotè, ad finem ultimum cœpta perducet, si oblatis gratiæ auxiliis homo non defuerit. Sed hæc iterum interpretatio nihil patrociniî damnato conciliat errori.

8 In quorum uberiorem explicationem iterum respondeo, quod, quando Augustinus dicit, *nihil boni sinè illa fieri posse*, si de sola gratia efficaci hæc verba intelligantur, non debeant absolute accipi, sed cum modificationibus ab eodem Augustino expressis, non solum in totâ operum ipsius connexionione, sed etiam in hoc ipso & immediatè præcedenti capite: ut nempe absolute & simpliciter non negent, posse fieri bonum salutiferum, ubi efficax gratia non adest, sed tantum negent posse conjunctum cum actu, seu posse conjungi actum cum carentia gratiæ efficaci. In promptu ratio est, quia Augustinus apertissime fatetur, se non loqui de potentia sinè actu, sed de potentia cum actu conjuncta, quam ipse cap. 14. ejusdem libri de gratia Christi expli-